

cum bona gratia mecum vixerint & vivant. Enim vero Philippum in ædes meas paratus sum, suo tempore recipere: si eum hic reliqueritis studiorum suorum ἐργασίαντην ipsemet agit: disputat in scholis theol. & Jctorum; alter studia sua negligit. Judicium omne penes vos esto. Equidem si malam in eo gratiam, qui familiæ causa diu mores illius tuli, scio futurum, ut non ita multo post agnoscat, iudicio me fecisse isthæc. Perire ergo si Paulum non vultis (ut mihi persuadeo) quam primum eum revocate domum & quid factu opus sit, dispicite. Mundus enim a noxa esse cupio. Philippum si hic reliqueritis, domi meæ non gravabor instar filii fovere. Si Heidelbergam mittere malueritis, commendabo illum J. C. meis amicis. Hæc bono animo scribo, illud non ignorans, nonnunquam hujus generis Epistolas parum esse gratas. Sed quum sunt necessariæ, non sunt suppressendæ. Vir clariss. Doctor Theod. Zwingerus (a) 10. Martii pie obdormivit in Christo. Heri mortales ejus ex uvias, cum planctu publico totius Basileæ, terræ mandavimus.

(a) confer supra p. 12. nota K.